

cum incorruptis, & plane aureis moribus, vitaeque innocentia, & virtutum omnium cumulo, praefulis sanctissimi personam a Pontifice maximo sibi impositam peregre, summoque cum omnium ordinum amore, atque plausu multis ab hinc annis sustineat, atque tucatur. Hunc *Maurocenus* ab ineunte ferme aetate praecipue, insigniterque inter omnes dilexit: cumque alter in Reipublicae administratione Venetiis, alter vero in ecclesiae sibi commissae cura Belluni, viveret; commune sui desiderium absentis crebris, & longis quoque epistolis mutuo leniebant, multaque latine simul conferebant, (a) ut incredibilem hujuscemodi epistolae, si unquam evulgentur, doctis hominibus voluptatem, & fructum allaturae sint. (b) *Ostavianum* quoque *Bonum*, & (c) *Joannem Basadonnam*, quorum alter modo Patavii praetura, alter vero Brixiae praefectura, gerunt, politioribus literis, eloquentia, & sacrarum, ac multarum disciplinarum doctrina insignes, eodemque Senatores eminentissimos impense coluit. Arctissime vero complexus est (d) *Donatum Maurocenum*, quem maximarum virtutum, & scien-

c 2

tia-

(a) ut incredibilem hujuscemodi Epistolae, &c.) *Lollini Epistolae* in lucem editae sunt ita inscriptae: *Aloysii Lollini, Patritii Veneti, & Belluni Antistitis, viri praeclarissimi, Epistolae miscellaneae, &c. Belluni, typis Francisci Vieceri, 1642. in 4. Nitidioribus typis dignissimum opus.*

(b) *Ostavianum quoque Bonum*) Quae *Maurocenum* inter ac *Bonum* amicitia intercederet, inde apparet, quod *Lollinus* huic *Lacrymas* suas in funere *Andreae Mauroceni* miserit suavisimo illo phalaecio, quod opus praeit:

„ Cui donum lacrymiabile hoc *Thalia*
 „ Scriptum carmine dat *Simonidaeo*,
 „ Moestitudine tetricum severa?
 „ An tibi optime convenit *BONE* uni?
 „ Non quod te hilaremque, gaudiisque
 „ Persusum velit omnibus; libellus
 „ Funus sed quia continet sodalis;
 „ Nulli qui mage flebilis suorum,
 „ Quam tibi, decus *Adriae*, recessit. „

Idem *Lollinus* in *Epistolis*, pag. 137. ad nomen ejus moresque scitissime alludens, eum vocat virum plane nominis sui; pag. vero 372. aevi nostri *Catonem*. Ejus obitum, dum vesicae calculo laboranti sectio adhiberetur, cum ibidem, tum pag. 349. deflet, addito longiore carmine hexametro, quo plurima narrat, quae viventi acciderant. Suum tamen erga *Ostavianum* amorem nullibi clarius significavit, quam cum de fratris sui morte ad *Henricum-Catharinum Davilam* scribens, pag. 381. in haec erupit: „ Accedit *Ostavianus Boni* obitus. FRATER is „ mihi ALTER erat, non naturae JURE, sed amoris, &c. „ Haec omnia eo libentius memoranda duxi, quod aequae *Lollini* ac *Mauroceni* amicus esset *Bonus*. Ceterum *Boni* saepius meminere in suis *Historiis Maurocenus & Baptista Nanus*.

(c) & *Joannem Basadonnam*) *Ostavius Ferrarius* in *Peple Veneto*, qui inter ejus *Opera varia* exstat pag. 330. perhonorifice memorat, „ *Joannem Basadonnam*, non exacta modo prudentia, atque administrandae Reip. artibus, sed altioribus studiis inclutum, quibus humana mens caelo admiscetur, orbesque aethereos scandens, instinctu Numinis plena, divina „ effata mortalibus communicat. „

(d) Arctissime vero complexus est *Donatum Maurocenum*) Non sanguinis, sed amicitiae vinculo *Maurocenus Andreas* & *Donatus* conjunctos fuisse, declarat *Crassus* ea epistola, qua hanc *Andreae Vitam Donato* inscribit. Quanta etiam cum *Donato* sibi esset necessitudo, testatur *Andreas* ipse iis epistolis, quae exstant pagg. 186. 193. 195. 196. 205. 241. Praecipue vero pag. 204. cum *Nicolaus Contareno* scriberet, ita *Donatum* commendat. „ Socium habes hujusce „ pulcherrimi instituti *Donatum Maurocenum*, virum clarissimum, in cujus ore & pectore *Minnerva* & *Mercurius* certam veluti sedem sibi defixisse videntur, &c. „ Inter *Lollinianas Epistolas* plurimae ad hunc datae inveniuntur. Cum vero *Lollinus* ad *Andream* nostrum literas daret, quae exstant pag. 133. „ Erit, ait, fortasse apud te, dum haec leges, *Donatus Maurocenus*, idem & horarum omnium comes, & doctrina ac comitate excultissimus: nam te absque „

LAE.